

## Alte Drucke

# Davidis Chytræi In Historiam Iosvæ, Iudicvm, Rvth, in Prophetas & Psalmos aliquot; & Sententias Syracidæ

Chyträus, David

Lipsiae, 1592

VD16 C 2504 T. II

Caput XII.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-148122)

et Dominus arbiter) *Causa iubet superos melior sperare secundos.*

*Factus est super Iephthe Spiritus Domini*) Iephthe Spiritu fortitudinis & roboris à Deo armatus, magno & infracto animo & impetu ardente, bellum gerendum suscipit, & hostes aggreditur & profligat. *Quodcumque mihi occurrerit*) quod licebit mihi secundum legem offerre, non canem, non porcum, non alinum primò occurrentem, multo minus hominem aut propriam filiam. *Reuertenti cum pace*) saluo & incolumi victis Ammonitis. *Memwith*) in tribu Gad, ad orientalem Arnonis ripam, non procul à Iazer. *Abel vinearum*) אבֵל נְבוֹט אֲבֵל ἀμπέλεια, vt Herbipolis in Francia, Sturgardia in VVirrebergensi ditioe. vox אבֵל luctum vel antiquam significat, à בלה. *In Maspha domum suam*) patria Iephthe fuit Maspha oppidum regionis Galaad, inter mare Galilææ & Ramoth Galaad, asylum fugitiuorum, sita. מִצְפָּה Mizpha, specula. *Reuertenti occurrit unigenita filia, cum tympanis & choris*) canentibus Te Deum laudamus, seu ἐπὶ τῶν κτύπων, & gratias Deo solenni carmine pro donata victoria agentibus. *Decepisti me, & ipsa decepta es*) הִכַרְעַתְנִי וְאַתָּה הַיְוִרָה בְּכַרְעִי incuruando incuruasti seu deprimendo depressisti me, & ipsa depressa es, quasi dicat, eram erectus, clarus, & famâ super æthera clatus, propter victoriam de Ammonitis illustrem, sed tu deprimis me & te, cum actum sit de te, & tota mea posteritate. *Aperui enim os meum ad Dominum*) voui seu promisi Domino, non tantum animo concepi, verum etiam verbis solennibus votum nuncupavi. *Aliud facere non potero*) vt Num. 30. & in Psalmo 75. vouere & reddere Domino Deo promissa iubemur, scilicet, si pium & legitimum votum sit, vel quia אִתָּךְ seu anathema deuoui, sicut Amalechitæ & ciues Hierichuntini, vt declarati hostes & perduelles Dei, ad internecionem deuoti sunt. *Pater mi, si aperuisti os tuum*) si vouisti, sponte offero me ad obedientiam. *Conuenient filia Israël & plangerent virginitatem*) vt memoriam pietatis & obedientiæ filia Iephthe ad posteritatem conseruarent, & patres monerent, ne imprudenter & temere huiusmodi votis se obstringerent, vel conuenient filia Israël לתנור ad alloquendum seu consolandum filiam Iephthe, quod voto patris virginitatem seruare coacta esset. Conferantur ea, quæ paulò ante de voto Iephthe in explicatione locorum doctrinæ dicta sunt.

## Caput XII.

### LOCI PRÆCIPVI.

**A**ER & vehemens affectus est *AEMVLATIO* inuidens alijs præstantioribus, & dolens alios crescere & magnifieri, & nobis maiores haberi: ideoque eos odisse, & premere ac tollere velle, non quod nos læserint, sed tantum quia dolemus eos antecellere, & nos inferiores duci, vt hoc loco Ephraimitæ, *αἰὲν ἀριστοὶ θεῶν καὶ ὑπερόσχοι ἔμμενοι ἄλλων*, semper esse alijs superiores & antecellere cupientes, gloriæ Iephthe & Galaaditarum inuidet, vt Saul gloriæ Dauidis, Pompeius Iulij Cæsaris potentiaë nimium crescenti, Agésilau Lyfandro, Marius Syllæ inuidet. Themistocles Aristidem, Pericles Cimonem odit & premit, Antonius Augustum iuuenem sibi potentia & imperio æquari dolet. Denique in maximis animis,

T mis,

mis, splendidissimisque ingenijs præcipuè hæc honoris, imperij, potentia ac gloriæ cupiditas & æmulatio existit, nec parcere æmulo aut cedere facile est, & pauci Scipionis sapientiam & patientiam imitari possunt, qui Linnæum in exilium ire maluit, quàm tribunorum plebis criminationibus se opponendo, civile bellum in patria accendere. sicut Gedeon supra, his Ephraimitis superbe & insolenter se ipsi præponentibus, miranda moderatione & verborum comitate cessit, & insuaues eorum expostulationes ac iniurias publicæ tranquillitati condonauit. IEPHTHA vero, in hoc cepte, non cedens inuidis Ephraimitis, nec patienter ac ἐπιεικῶς eorum iniurias ferens ac publicæ concordie condonans, patriam crudelissimo lucratissimoque bello civili implicauit, in quo 42000. ciues, plures quàm in bello contra Ammonitas perierunt, sicut in ciuilibus Romanorum bellis, Syllæ & Marij, Pompeij & Cæsaris, Triumvirorum & Bruti, Augusti & Antonij ex æmulatione & vindictæ cupiditate accensis, plures Romani ciues, quàm ab vllis hostibus externis trucidati sunt. & semper ecclesiæ plus inter se diffidia & certamina, ex æmulatione doctentium orta, quàm vllæ tyrannorum persecutiones nocuerunt. Cùm igitur tantorum in rebus publicis & ecclesijs malorum causa æmulatio existat: in timore & inuocatione Deprimis inuidentiæ ac æmulationis flammis obstemus. Cùm enim radices in animis hic affectus egit, ac præsertim cùm in apertam contentionem, ac bellum erupit, difficulter reprimi & compesci ante alterius partis interuentionem potest. Virtutes oppositæ æmulationi, sunt, Modestia, Mansuetudo, ἐπιεικεία, Patientia, & vicinæ, de quibus in octauj & quinti præcepti explicatione admonitiones ex Regulis vitæ repetantur.

## II.

INGRATITUDO Ephraimitarum erga Iephtham, de toto populo Israel optimè meritum, qui cùm Heroica fortitudine & felicitate Ammonitas à ceruicibus Israëliitarum depulisset, ideoque summo honore & laudibus affici ab omnibus deberet: hanc gratiam ab Ephraimitis refert, vt ipsum totam ipsius domum flammis delere & funditus pessundare cupiant. Et autem Ingratitudo, ex tribus teterrimis vitijs, iniustitia, superbia, & mendacio, confuta & conflata, quorum descriptiones, ex regulis vitæ vel de libellis ethicis repetantur. Cùmque nihil in mundo vilitius sit, quàm mercedem anguinam benemeritis rependere; & summa beneficia summis meritis vicissim compensare: ita componamus animos, vt propter Deum recta faciamus, non propter mercedem humanam, nec frangamur animi, cùm non respondent hominum studia & officia nostræ voluntati & nostris meritis.

III. SEDITIO seu bellum ciuile inter Ephraimitas & Galaaditas, ortum ex superbia & æmulatione tribus Ephraim. de quo vnicam Herodotus sententiam hoc loco recitabo: Στάσις γὰρ ἐμφυλῶν πολέμου ὁμοφρονέοντος τοῦ κακίου ἐστὶ, ὅσα πόλεμος εἰρήνης, seditio intestina, tanto nocentior est bello, quod consentientibus animis aduersus externos geritur, quantò bellum peius est pace.

IV. De Linguarum varietate, & dialectorum in singulis linguis discrimine, quarum in Græca lingua quinque, in Germanica multò plures discerni possunt.

V. Fœtus.

V. Fœcunditas coniugij, & liberi multi pietate & virtute præstantes, eximia & singularia Dei dona sunt. Psal. 127. Ecce hæreditas Domini sunt filij: merces seu præmium & donum Dei, sunt fructus ventris.

## T E X T V S.

**S**EDITIO) Scorsum itio, secessio ab ordinario magistratu, & cæteris eiusdem corporis Reipublicæ membris. *Transseuntes contra aquilonem*) transmissio Iordane in regionem Galaaditarum. *Quare vadens ad pugnam, nos vocare noluisse?*) Nullum bellum à te suscipi aut geri debuit, non accedente autoritate tribus Ephraim, quæ potentia, dignitate & virtute cæteris longissimè antecellit. *Igitur incendemus domum tuam*) *Der Welt Danck.* Gratia pro communi defensione & victoria de Ammonitis relata. *Posui animam meam in manibus meis*) Exposui me periculo vitæ. *Pugnabat contra Ephraim*) πόνος πόνος πόνος φέρει. Vix depulsis Ammonitis & illustri victoria parta, cum omnia tuta & tranquilla viderentur, nouum & inopinatum bellum, multò priore maius & crudelius à proprijs ciuibus aduersus Iephtham mouetur. *Fugitiuus est Galaad de Ephraim*) Ad iniustam violentiam armis illatam, accesserunt etiam verborum contumeliæ ac probra aculeata, quæ acrius irritant & magis percellunt & ad iracundiam ac vindictæ cupiditatem animos prouocant, quàm vllæ corporis vulnerationes. Fugitiuus est Galaad, q.d. Galaaditæ indigni sunt, qui cum nobilissima tribu Ephraim vlla ratione comparentur, sicut vilia & quidem fugitiua mancipia, respectu Patritiorum ac equitum Romæ in nulla classe censebantur, & in numero ciuium non erant, *Die Galaaditer sind der Ephraimiter verloffene Slauen.* *Per quæ Ephraim*) (Orti ab Ephraim filio Ioseph seu Ephraimitæ) *reuersuri erant*) Vilitatis. Metalepsis causæ procreantis pro effectis, seu posteris inde propagatis. *Dic ergo Schibboleth*) שִׁבּוּל per ש quod sonat Sch, vt Sueui S ante t, tanquam Sch, crassè pronunciant *Escht/Es ischt/Arischtoteles.* Saxones & Misnenses, sonum literæ S simplicem & natiuum retinent: Sic Ephraimitæ subtiliores, literam ם seu S exile & acutum, & velut serpentis sibilum, cuius spiram literæ figura refert, exprimebant, vbi Galaaditæ ם Schin, S crassum seu Sueuicum sonabant. *Quod interpretatur SPICA*) Propriè שִׁבּוּל significat fluxum seu cursum aquæ, *Den Strom.* Sumunt enim Galaaditæ, à re præsentis, à decursu & fluxu aquæ vocabulum, quo Ephraimitarum dialecton examinant (quod Psalmo 69. Ne inundet me fluxus aquarum. Esaiæ 27. Triturabit Dominus à fluxu fluuij vsq; ad fluuium Aegypti. In nostra versione legitur: Percutiet Dominus ab alueo fluminis vsque ad torrentem Aegypti: & passim alibi vsurpatur. Deinde per Metaphoram: Culmum in frugibus, quod à radice in spicam fundatur. (Iob 24. Velut caput culmi succidetur) & spicam ipsam significat, Gen. 41. Esa. 17. *Iudicauit Iephthe sex annis*) Cuius tempore apud Græcos *HERCVLES* senex obiit, & Heraclidæ in Peloponnesum descendentes repulsi sunt, ac Eurystheo in Attica interfecto successit in regno Argiuo Atreus auunculus senex, pater Agamemnonis, qui paulò post ad Troiam exercitum duxit.

Nonus Iudex, *ABESSAN* Bethlehemites, ex tribu Iuda. אֲבֵסָן pater acutus vel framea & stimulo armatus, vel à אֲבֵסָן argilla. an Booz proauus David fuerit incertum est. *De Bethlehem*) Domus panis, oppidum in tribu Iuda, distans à Ierosolymis duo breuia miliaria, versus meridiem, in quo natus est

panis vitæ Dominus noster *Iesus Christus*, Matth. 2. Lucæ 2. Ioan. 7. vt Micheæ 5. prædictum erat. Ibi sepulta fuit Rachel vxor Iacob, Gen. 35. 48. Ideo Matth. 2. Rachel plorat liberos suos. Eadem fuit patria Dauid, 1. Reg. 16. Ideo vocatur ciuitas Dauid, Luc. 2. Longa est grad. 65. 55. latit. 31. 40. Distat à Nazareth circiter 20. miliaria germanica. Fit eiusdem mentio Iud. 12. 17. 19. Ruth. 1. 2. 4. 1. Par. 11. Esd. 2. 2. Reg. 23. Alia est Bethleem in tribu Zabulon, Ios. 19. *Triginta filios maritos*, & totidem filias maritis elocatas habuit, quod velut singulare benedictionis diuinæ exemplum merito celebratur.

X. Iudex, *AHIALON* ex tribu Zabulon. אילון *Elon*, quercus.

XI. *ABDON*, filius Helle. Pharatonites. אבדון *feruus*. אבדון *ex oppido tribus Ephraim Pharathon*, cuius literæ radicales eadem sunt, quæ in אבדון *Pharao*, à אבדון *liberauit*, vindicauit, vel cometa, à אבדון *Cæsaries*. אבדון *pultus in monte Amelech* in tribu Ephraim, non in Idumæa, cuius partem Amalechitæ ab Heliphaz, filio Esau propagati, possederunt. tametsi iisdem literis nomen scribitur, אבדון *populus lambens*, vel laborans vomitu. Incidit autem in Abdonis Iudicis ætatem, Troianæ vrbs & regni excidium, quod consentientibus plurimorum scriptorum testimonijs, vrbs ROMA conditionem antecessit annis 430. Natalem Christi annis 1180.

## Caput XIII. XIV.

XV. XVI.

**H**ISTORIA fortissimi herois *SAMSONIS*, sapientia, virtute, & felicitate heroica præstantis, mirabilium operum & testimoniorum præsentia *DEI* & illustrium virtutum ac viciorum exemplis plena, ad locos personarum in genere demonstratiuo accommodari & distribu non incommode potest. Primum enim Samsonis natales seu parentes, conceptio, natiuitas & pueritia, in hoc XIII. capite recensentur. Deinde virilis ætas, coniugium, *RES* præclare gestæ, exempla virtutum & viciorum, & tandem mortis mirandæ historia commemoratur.

Vt autem duo summa doctrinæ Christianæ capita sunt, ad quæ omnes historiae & conciones sacrarum literarum dirigi & referri debent; *LEI* & *EVANGELION* de *CHRISTO*; ita XIII. capitis initium, *LEGIS* doctrinam & exemplum de peccato & pœna peccati proponit. Ordo enim sapientiæ & iusticiæ legis diuinæ æternus & immotus est, vt homines ad imaginem *DEI* conditi vel similes sint archetypo sapientia, bonitate, iusticia, beneficentia, castitate & cæteris virtutibus: vel non congruentes, & delicta ac scelera cum voluntate & lege *DEI* pugnantia committentes, præsentibus & æternis pœnis destruantur, vt in primo præcepto hæc regula iudicij diuini constans & immutabilis traditur: *EGO*, sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes, visitans iniquitatem, seu *PUN* *ENS* peccatum in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me. Iob cap. nono, Verebar omnia opera mea, sciens quod non parcis delinquenti, Psalmo 38. Propter iniquitatem punis filios hominum.